DE OOPHORITIDE.

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE

FRIDERICA GUILELMA

UT SUMMI

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE XXIV. M. OCTOBRIS A. MDCCCXLVIII.

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

JOANNES HUBERTUS PESCH

RHENANUS.

OPPONENTIBUS:

SERV. KRAPP, med. et chir. Dr.

CAROL. KUEDERLING, med. et chir. Dr.

ANDREA WIRTZ, med. et chir. Dd.

BEROLINI,

TYPIS FRATRUM SCHLESINGER.

PATRI

OPTIMO AC DILECTISSIMO

AD CINERES USQUE PIE COLENDO

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

SACRAS ESSE

VOLUIT

SCRIPTOR.

PROOEMIUM.

Quum finito studiorum academicorum curriculo consideratius cogitarem de conscribendo opusculo, quod requiritur ad summos in utraque medicina honores rite obtinendos, tam multa ad elaborandum apta studioque meo blandientia ante oculos versabantur, ut diu multumque materiam jam a multis viris, doctissimis atque peritissimis tractatam, oophoritidem dico perlustrare dubitaverim. At ii non minus medicinam juvare mihi videntur, qui aliorum observationes de re quadam dispersas colligunt, quam illi, qui novi aliquid ab ipsis inventi vel observati afferunt. Materiam autem plane me non posse exhaurire haud difficile persuasum mihi est, quum tale negotium et largiorem et diuturniorem requirat experientiam, et limites hujus libelli nimis circumscripti sint.

Qualecunqne etiam sit hoc specimen inaugurale, et quam parum omnibus suis partibus absolutum, ut magistrorum praestantiam et tironum sudores distinguant, atque benevole has studiorum primitias accipiant, obsecro lecturos. Valete.

DESCRIPTIO MORBI.

Morbosi ovariorum processus vitales saepissime nobis occurrunt, quamquam eorum diagnosis maximis subjecta est difficultatibus; plerumque cum morbis totius apparatus sexualis conjuncti sunt. Affectiones inflammatorias uterus persaepe cum ovariis participat. Maxima inter oophoritidis symptomata diversitas ex foeminae et aetate et constitutione et moribus sequitur. Permagnus appetitus virorum, vehementiora symptomata nervosa febrisque tenuis, quae certissimae indicationes oophoritidis esse dicuntur a nonnullis, saepissime omnino desunt in chronica ovariorum inflammatione, atque in oophoritide puerperali aegrota febri acerrima laborat. Unde sequitur, descriptionem oophoritidis esse difficillimam. Quare non miraberis, viros clarissimos et illustrissimos in hujus morbi descriptione contraria contendere atque eidem affectioni signa opposita adjudicare.

Symptomata hujus morbi ob profundiorem ovariorum situm in pelvi magis sunt subjectiva quam objectiva, quum calor adauctus, tumor juxta spinam anteriorem inferiorem ossis ilium durus, circumscriptus, interdum movendus, et per

vaginam et rectum explorandus soli manui exploranti fiant manifesti.

Symptomata autem subjectiva sunt frequentiora, quorum nonnulla certiora, nonnulla autem minoris dignitatis se ostendunt. Inter quae etsi magnam esse diversitatem concedendum est, tamen contradictiones omnino abrogare non potes. Permagna symptomatum diversitas eo efficitur, quod inflammatio est acuta aut chronica, simplex aut complicata; multum quoque interest, num aegrota sit virgo intacta, an puellá depravata, num sit puerpera an annis climactericis.

Clarus (1), qui inflammationis signa fere omnino deesse contendit, haec enumerat oophoritidis symptomata: priusquam morbus erumpit, nunc animus aegrotae valde depressus, morosus, nunc inconsueta animi agilitas, hilaritas magna. Interdum morbus sine prodromis distinctis exoriri videtur post affectiones nocentes, et a convulsionibus tam epilepticis quam catalepticis incipere, quae saepius revertuntur. Pulsus variabilis, nunc magnus et fortis, nunc parvus et tremulus, et plerumque vi morbi non consentaneus; cutis non multo calidior quam ad normam, interdum frigida; urina parca et rubra, alvus obstructa. Dolor localis saepissime ita debilis, ut ab aegrota vix sentiatur. Sub pressu volae manus in regione inguinali aegrota os torquet, ac saepius convulsiones femoris insequuntur. In pluribus casibus nunc plus, nunc minus perspicue tumor in regione inguinali alterutra durus, circumscriptus, manui per vaginam exploranti offertur. Ita

---

(1) Annalen des klinischen Instituts in Leipzig, T. I, Sct. 2.

Clarus, cujus descriptionem plures medici illustrissimi, uti Carus, Harless, alii, rectam esse concedunt.

In „le dictionnaire des sciences médicales“ legimus:

„L'inflammation aiguë des ovaires se manifeste par un sentiment de chaleur et une douleur pongitive dans la région iliaque droite ou gauche, ou dans les deux régions à la fois. Le côté où siége le mal se tend, devient dur, résistant au toucher, se présente quelquefois sous l'aspect d'une boule, l'utérus ne tarde pas à acquérir de la sensibilité et à participer à l'inflammation; bientôt le gonflement se propage à la totalité de l'abdomen, les douleurs deviennent extrêmement aiguës; si l'on presse sur le ventre, les traits du visage se contractent, et quelquefois mêmes les cuisses sont agitées par des convulsions. La malade se plaint de douleurs dans les lombes, elle éprouve des battements dans les aines: il y a fièvre, chalenr vive, soif; la respiration est courte, le pouls fréquent, dur et plus ou moins concentré.“

Leroy-d'Etiolles symptomata oophoritidis certissima esse obstructionem alvi et tympanitidem putat; dicit enim: „Il a suffi de combattre la constipation pour dissiper comme par enchantement les douleurs et l'ensemble des autres accidents. Outre la constipation il est d'autres phénomènes importants sur lesquels il me semble que l'on n'a pas suffisemments insisté. Je noterai d'abord la lympanite. Elle survient dès le premier ou le second jour, et à un tel point, que je ne l'ai jamais vu portée aussi loin, si ce n'est dans l'ileus et les étranglements intestinaux; le ballonnement s'étend rapidement à l'èpigastre. La douleur paraît atroce; elle est beaucoup plus vive que dans la péritonite, et cependant la sensibilité

à la pression est beaucoup moindre; parfois elle est presque nulle."

Deinde, quod ad alia symptomata pertinet, haec dicit idem: „Dans l'ovarite aiguë la figure en général n'est pas gripée, elle est plutôt un peu animée. Le pouls n'est pas non plus celui de la péritonite; il n'est pas, comme dans les autres phlegmasies sous-diaphragmatiques, serré, fréquent; il conserve au contraire une certaine largueur, et sa fréquence n'est pas en rapport avec l'acuité apparente des autres symptômes."

Loewenhardt (1) Clarum oppugnat. Nunquam enim in oophoritide hilaritatem libidinosam et luxuriam observavit, atque ejus observationes verissimae videntur et sectione facta in casibus infeliciter exortis adjuvantur. Si quidem accuratius haec symptomata perscruteris, quae non modo a Claro, sed etiam a plurimis aliis scriptoribus ad inflammationem ovariorum necessaria habentur, facile intelliges, functionem ssytematis nervorum inflammatione organi perturbatam talia vix permittere, nedum adducere, quae dolorem adaugeant, uti coïtum frequentem, motus femoris indecoros. Si enim oculus laborat iritide, auris inflammatione tunicae cujusdam aut periostei, si cerebrum peccat meningitide: certe nunquam videas oculum irritamentum lucis magis petere quam in conditione sana, aurem item fortiorem sonum aut crepitum amare quam sanam, neminemque fugiat, aegrotum in meningitide omnia, quae cerebrum irritare possint, caute removeri optare.

---

(1) Diagnostisch-praktische Abhandlungen. Prenzlau 1837.

Quum autem ovarium inflammatum et cohabitatione et motu a scriptoribus observato femorum indecoro et mechanice et ex systemate nervorum, toto fere sympathice affecto, dolorem adaugeri necesse sit, admodum verisimile est, aegrotam talia non cupere, sed potius removeri studere. Nihilominus concedendum est, symptomata hujus morbi alia esse, si aegrota est pudica, casta, intacta, alia, si vitae libidinosae dedita est. Illas praecipue Loewenhardt, has vero Clarus observasse videtur.

Unicum oophoritidis signum certissimum Loewenhardt (l. c.) tumorem ovarii nominat, qui manui per vaginam et praecipue per intestinum rectum exploranti fit manifestus: nam dolorem aegrotae non esse molestum, sed modo obtusum, et alia symptomata non adesse, quae inflammationi praecipue ovariorum sint propria.

Plures medici vomitiones et cephalalgiam invenerunt, quae symptomata clarissimus M. E. Naumann (1) in virgine vidit annos viginti quinque nata, sine ullo dubio ex inflammatoria ovarii dextri affectione laborante. Menstruatione saltando subito suppressa, per nonnullos dies dolor obtusus in regione iliaca dextra et febris non ita debilis, cum cupiditate coitus exercendi conjuncta, adest; deinde tumor ovarii se praebet manui exploranti; die quarto dolor capitis vehemens et vomitiones aegrotam vexant. Post novam perfrictionem die sexto peritonitis vehemens exoritur, quae duas postulat venaesectiones et multas sanguisugas. Aegrota die decimo

---

(1) Handbuch der medizinischen Klinik, T. X.

tertio sanata est; tumor ovarii omnino evanuit, et menses proximi ad normam fluxerunt.

Osiander (1) quoque magnam cupiditatem libidinosam signis oophoritidem indicantibus adnumerat. Secundum hujus descriptionem jam in primo morbi stadio aegrota dolorem in regione pudendorum et inguinali ardentem et contrahentem cum lassitudine femorum junctum sentit; faciei calor ruber cum pallido alternat; pulsus durus est et frequens; aegrotae de dolore capitis queruntur, inquiete dormiunt atque vehementer moroseque se gerunt. Quiete et mensibus copiosis haec symptomata quidem praetereunt, menses vero semper magno cum dolore revertuntur. Si hoc morbo saepius aegrotae laborant, tubae cum ovariis coalescunt et tubae oblitterantur. Sub conditionibus magis noxiis inflammatio acutissima summam et morositatem et lassitudinem adducit; dolor lancinans in regione epigastria ac sacrali et in femore aegrotam vexat; accedunt vehemens capitis dolor, convulsiones, perturbatio mentis, mania. Quum virgines hoc morbo affectae de hominibus alterius generis dilectis delirent, morbum non valde perniciosum, febrem amatoriam, adesse putares. Fluxum mensium multum prodesse opinantes remedia emmenagoga adhibent, quibus inflammatio etiam augetur. Aegrotae quiete soporata aut convulsionibus laborant; pulsus fit parvus et anomalus; dolor in regione epigastria sub pressu non vehemens; e vagina nonnihil sanguinis effluit; subito mors finem adducit.

(1) Ueber die Entwicklungskrankheiten des weiblichen Geschlechtes. T. II.

Illustrissimus Schoenlein (1) sub nomine oophoritidis haemorrhagicae aliud morbi nostri genus praeclare descripsit. Symptomata febrilia adsunt acerrima; dolor flagrans in ovario peccante; spasmus vehemens ad decursum ligamentorum uteri rotundorum; interdum labia pudenda lateris affecti intumescunt; accedunt haemorrhagiae uterinae, quae octavo quoque die usque ad decimum quartum profusae revertuntur, atque anaemiam adducunt. — Jung (2) oophoritidem acutam observavit in foemina annorum quinquaginta, quae jam per octo dies dolore lancinante et pungente in regione inguinal dextra vexabatur. Exploratio externa in regione inguinali dextra inter ramum horizontalem ossis pubis et spinam anteriorem inferiorem ossis ilium tumorem ostendit circumscriptum, deformem, tuberosum, magnitudine ovi anserini, cujus tumoris integumentis plicatis dolor non multum adaugebatur; exploratio per vaginam diagnosin certiorem fecit. Die vicesimo nihil tumoris et inflammationis superfuit.

Ex quibus observationibus cunctis intelligere licet, formas et symptomata, sub quibus oophoritis se ostendit, maxime inter se differre; sed praecipue spectandum mihi videtur, quod Osiander nobis tradit, qui hunc morbum multum observabat, et numerosas cadaverum sectiones instituebat.

Multum ab inflammatione antea descripta oophoritis puerperalis differt, quae saepissime conjuncta est cum inflammatione tubarum et ligamentorum rotundorum uteri. Quem morbum facillime peritonitidem esse putares, nisi dolor

---

(1) Vorlesungen.

(2) Rhein. med. Generalbericht für 1832. Koblenz 1833.

minus vehemens esset, et praesertim in regione inguinali aut iliaca alterutra sedem haberet. Inter alios Rob. Lee hanc inflammationem descripsit, quam Th. Helm (2) occultissimam et perniciosissimam nominat. Aegrota per plures dies febri atrocissima laborat, in qua morbum localem nondum invenis; lochia ad normam effluere possunt; subito delirium incipit aut sopor, quem post nonnullas horas mors inopinata sequitur. Clarissimus Romberg (3) casum observavit, in quo aegrota annorum quadraginta quatuor mense graviditatis quinto, ictibus fustis ad ventrem applicatis, geminos peperit et inde haemorrhagia profusa laboravit. — Altero die sub frigore et insequente calore dolor in regione epigastria exstitit; die quinto maxima virium defectio; venter inflatus, valde dolorosus; pulsus frequentissimus, parvus. Cura antiphlogistica adhibita dolor quidem cessit, venter ad normam rediit, lochia exigua et putrida reversa sunt; sed frequentia pulsus remanebat, et aegrota etiam atque etiam frigore vexata valde ac celeriter macrescebat. Die vigesimo primo lectum relinquens subito dolore atrocissimo afficiebatur in regione inguinali sinistra; accesserunt dyspnoea, pulsus frequentior, excretiones alvi involuntariae et ultimo die sopor gravis. Mors aegrotam eripuit die trigesimo secundo. Sectione instituta ovarium sinistrum magnitudine ovi gallinacei, colore rubro, molle et pure viridi impletum reperiebatur; latus internum cervicis uteri molle et colore coeruleo-viridi inveniebatur;

---

(2) Medizin. Jahrbücher des östreich. Staates, T 23.

(3) Wochenschrift für die ges. Heilkunde. 1833, No. 7.

colon inflammatione affectum, cujus paries anterior cum utero intime conjunctus erat, tres praebebat abscessus parvos; saccus pleurae utriusque lateris magnam continebat copiam liquoris serosi atque rubri.

Loewenhardt (l. c.) in primipara, deinde oophoritide purulenta mortua, praeter febrem dolorem capitis vehementem, praecipue in regione frontali, et dilatationem pupillae dextrae animadvertebat; utrumque ovarium purulentum inveniebatur, et fere omnino in materiam pulposam permutatum; peritonaeum et uterus inflammati apparuere; cerebrum autem valuit.

Plerumque oophoritidem minus acutam et facile sanandam, lochiis suppressis, Sattinger (1) invenit. Haec indicat symptomata: dolorem prementem aut pungentem in regione lumbali lateris morbo affecti, et interdum, quum inflammatio magis adaucta fuisset, tumorem sub pressu aperte sentiendum; deinde dolorem pedis torpore hebetati eodem latere et calorem vaginae adauctum; affectiones omnes adaugebantur, quum aegrotae essent erectae; tunc etiam ipsae uterum magis in pelvim descendisse credebant, quamquam situs idem erat; aegrotae nonnullae stranguria laborabant.

Chronicam oophoritidis formam interdum apparere, quae mensibus alienatis et affectionibus nervosis prodiret, sed nonnunquam morbos ovariorum organicos provocaret, Clarus (l. c.) contendit. Auctore Loewenhardt (l. c.) inflammationis et chronicae et acutae symptomata eodem, hac tamen differentia, ut ista debiliora appareant, et quod attinet tempus, magis protrahantur; voluptatem libidinosam adfuisse ille negat.

---

(1) Siebold's Journal, T. 8. sct. 2.

Colicam scortorum, qua puellae publicae saepissime laborant, ex oophoritide chronica, quae tamen uteri affectione prodiret, exoriri Bartels (1) censebat. Dolorem et colicam esse neuralgicam affectionem, quae tractum intestinalem ipsum parum cruciaret. Quum aegrotae vitam libidinosam porro degerint, inflammationem chronicam iterum atque iterum recrudescere, et deinde degenerationem ovariorum adduci. Nonnunquam etiam peritonitide chronica sensim ovaria morbo afflicta se vidisse.

AETIOLOGIA.

Affectiones ovariorum inflammatoriae clarius expressae vulgo illo temporis spatio occurrunt, quod inter pubertatem atque involutionem intercedit, quo organa illa propriam quasi vitam sibi vindicare videntur. Plurimae, quas Clarus observavit, aegrotae inter annum vicesimum et trigesimum erant. Loewenhardt in casibus plerisque ovarium dextrum inflammatione corripi dicit. In oophoritide puerperali vero saepissime utrumque affectum est ovarium. Cupiditas coëundi nimis maturata, coitus ante pubertatem et nimis frequens sine graviditate insequenti, ejus consueti privatio ovaria valde incitant atque irritant; porro irritationes genitalium variae et ex remediis emmenagogis purgantibusque drasticis, et ex masturbatione atque ex coitu cum maritis debilibus et enervatis exercitato, ad inflammationem ovariorum conducunt.

Clarus non raro puellas publicas oophoritide laborare vidit, quae in nosocomio receptae sint, ut a syphilide aut scabie liberentur. Interdum oophoritis aut ex mensibus lo-

(1) Rust's Magazin, T. 41. sct. 2.

chiisque subito suppressis, aut e coïtu tempore mensium peracto, aut ex abortu exoriri potest. Morgagni in Epistola XLVI haec scripsit: „In partu difficiliori vehementes crebrique nisus gravem uterum urgent in testes tubasque subjectas, quae particulae ad pelvis ossa apprimuntur, et inflammationis initium contrahunt, quam augent mox lochia, exempli gratia, parcius fluentia.“ Non ita raro ovaria inflammationem cum utero, peritonaeo aliisque organis adjacentibus participant; etiam puerperio peracto, tempore lactationis pluries oophoritis deprehensa est. Perfrictio vehemens, praecipue tempore mensium, vel inter curam mercurialem, metastases rheumaticae, suppressio sudoris aut exanthematum chronicorum, praesertim scabiei et herpetis, denique abusus specierum aromaticarum nonnunquam hujus morbi causae habenda sunt.

DIAGNOSIS.

Difficultates, quae ex diagnosi oophoritidis evadunt, partim inde ortum ducunt, quod inflammatio, quod pertinet ad organa eodem tempore consensu afflicta, formis maxime variis conspicitur, partim quod inquisitio per vaginam et praecipue per rectum, qua certissime oophoritidem ab aliis organorum adjacentium morbis separare licet, medico saepissime maxima praebet impedimenta. Leroy-d'Etiolles dicit: „L'ovarite et la tubite aiguës peuvent se développer, comme l'on sait, dans des circonstances bien differentes, mais plus particulièrement à la suite de l'accouchement; et, comme alors elles coïncident souvent avec une métropéritonite ou une inflammation du tissu cellulaire de la fosse iliaque, les symptômes plus graves de ces diverses phlegmasies effacent en partie ceux de

l'ovarite et empêchent de bien les isoler. C'est sans doute dans cette coïncidence et dans cette complication qu'il faut chercher la raison pour laquelle les signes les plus caractéristiques de l'ovarite et de la tubite aiguës ont passé pour ainsi dire inaperçus; du moins je ne les ai point trouvés mentionnés dans les divers écrits publiés sur les inflammations des ovaires."

Cum meningitide oophoritis etiam occulta confundi non potest, nam in meningitide pulsus carotidum fortissimus, valde plenus et durus; conjunctiva bulbi magis rubra, oculi splendent. Porro a typho quoque oophoritis discrepat, in illo enim vires celeriter languescunt, et epidemium vel endemium contagium invenimus, multasque alias organorum functiones magis laesas, ut sensuum et digestionis, denique eruptionem cutis in forma stigmatum exorientem, linguam massa fusco-flava, plerumque crassa obtectam, itidem auditum et visum alienatum; quae signa omnia in oophoritide fere omnino desunt. Delirium ipsum, quod in morbo nostro quidem exoriri potest, in eo tamen a delirio aegrotarum ex typho laborantium discrepat, quod huic semper dolor in loco affecto antecedit.

Inter metritidem et ovariorum inflammationem hoc plerumque exstat discrimen: in metritide affectio magis localis, febris et decursus morbi magis acuti; in oophoritide dolor a linea corporis mediana magis remotus ad regionem inguinalem lateris affecti tendit, non tam vehemens quam in metritide, quum ovarium organon sit magis glandulosum, uterus vero musculosum, et constet, illa organa, nisi tunica nimis densa inclusa sint, dolorem magis obtusum in inflammatione excitare.

Menses anomali, cum hysteria conjuncti, valde respiciendi sunt, quum et ovariorum et uteri morbos indicare possint. Neque tumor ovariorum cum uteri retroversione confundendus, quod tum quidem fieri posset, quum ejusmodi intumescentia, inter intestinum rectum et vaginam sentienda, portionem vaginalem uteri in altum erexisset.

Similis quoque apparere posset inflammatio ovariorum et psoarum; sed in illa plerumque functiones uteri et intestini recti aut vesicae urinariae peccant, in hac autem musculi lumbales et crurales, ita ut aegrotae difficilius ambulent, claudicent, et crura magno cum dolore vix attrahere possint.

Postremo oophoritis permutari possit cum intumescentia aut induratione glandularum inguinalium; sed hae, sub integumentis non tam profunde sitae, superficiem inaequalem praebent, nec loco tam facile removeri possunt.

EXITUS.

Inflammationis exitus, illo in sanitatem excepto, optimus certe suppurationis. Cum abscessus formatione inflammatio, qua tunica ovarii cum organis adjacentibus coalescit, semper est conjuncta, ita ut abscessus, suppuratione satis progressa, viam sibi vel extrorsum vel introrsum patefaciat. Ille vero abscessus, qui in vaginam, aut in rectum, aut extrorsum tendit, spem sanitatis redeuntis optimam praebet; omnino autem letalis est, si in vesicam urinariam, valde perniciosus, si inter musculos lumbales, inter illos femoris, aut in peritonaeum abscessus perrumpit; in casu illo mors ex phthisi, in hoc autem ex nova peritonaei inflammatione, primum in pelvi et deinde in toto abdomine exoriente, vitam aegrotae

finiet. Unius ovarii suppuratio, nisi nimis longum tempus durat, nec vires aegrotae consumit, neque individui nec generis sanitatem valde incommodat, quum conceptionis facultas persistere possit, quando alterum ovarium nullo morbo laborat. Inflammatione in conditionem sanam redeunte, post acutum solum decursum crises febris usitatae apparent. Signis faustissimis adscribuntur menses regulati, aut et lochia et secretio lactis restituta, haemorrhagiae vero sublatae. Sed sanatione perfecta post vehementiorem inflammationem facile adhaesiones anomalae cum organis vicinis relinquuntur (1). Quare fit, ut mulieres saepe sensationem pressionis et tensionis in pelvi sentiant; quae sensatio, interdum usque ad regionem epigastriam continuata, praecipue in positione erecta mulierem molestat. Non raro deinde fit, ut inflammationem non modo suppuratio, sed etiam ulceratio gangraenosa subsequatur (2).

Suppuratio incipiens plerumque indicatur hisce signis: horripilatione continua aut pluries iterata, dolore pulsante, dum febris magis crescit quam diminuitur; intumescentia sensim crescente et fluctuante (id quod et percussione et tactu in integumentis abdominis et exploratione per rectum et per vaginam eruere possumus), et motione cruris lateris affecti impedita. Andral tamen refert, interdum ovarium paullatim modo in saccum pure repletum commutari, nullis doloribus intumescentiae praegressis. Qua conditione capsulam fibrosam sensim emolliri et perforari atque, nisi jam antea adhaesiones cum aliis organis effectae sint, pus effluere in cavum perito-

(1) V. Motz diss. de morb. ovariorum, Jen. 1789.

(2) V. Sidren, diss. casus sphaceli ovar. Upsal. 1768.

naei. Quum pluries jam eventum faustum observatum sit, si abscessus extrorsum creverat atque ruptus erat, bene evenit si integumenta super intumescentiam paullatim extenduntur et inflammantur, si eodem tempore fluctuatio magis magisque apparet: sed tamen etiam hoc in casu periculum adhuc imminet, ut pus intra ligamentum Poupartii in femur descendere possit. Saepe vero abscessus contentum tam perfecte extrorsum ejectum est, ut sanatio perfecta subsequeretur (1). Suppurationem ovarii sinistri, de qua Fahrenhorst (2) refert, sanatio secuta est, postquam pus per annulum inguinalem iter fecit. Burdach (3) idem eventum reperit in foemina quadraginta quinque annos nata, quae jam per unum annum laboraverat spasmis abdominis sic dictis, saepe febri acri comitatis. Postremo irritatio consistebat in ovario dextro. Aegrota querebatur de dolore in dextra regione inguinali, ubi intumescentia, pressione acriore dolorosior reddita, plane sentiri poterat. Interdum dolor premens, doloribus in sensu obstetricio similis fiebat, atque vagabatur inde a latere dextro ossis ilium vel ossis sacri usque ad regionem pubis ejusdem lateris; stranguria et obstipatio continua in symptomatis molestissimis erant. Per parietem superiorem vaginae tumor parvus, durus, sed mobilis sentiebatur. Suppuratione cataplasmatis maturata abscessus denique ruptus est. Hebdomadibus duodecim post morbus in conditionem integram restitutus est.

(1) Cf. Richter's Chirurgie, T. 11.

(2) V. Rust's Magazin, Bd. 20.

(3) V. Zeitschrift für Natur und Heilkunde, T. 5.

Erdmann (1) foeminam quadraginta duos annos natam vidit, quae jam per complures annos hydrope abdominali affecta, jam pluries punctione abdominis sublevata erat. Punctio postremo instituta dolorosior erat et nullum eventum laudabilem habuit. In sinistro abdominis latere corpus globosum, magnitudine capitis neonati sentiri poterat, quod in inflammationem et suppurationem transiit et, abscessu in regione inguinali rupto, sanationem aegrotae praeparavit. In muliere, quam Held (2) curabat peritonitide laborantem, inflammatio se concentrabat in ovario dextro, quod ad tumorem magnitudine pugni, circumscriptum et dolorosum progressum est. Transitus in suppurationem impediri non potuit. Die vicesimo primo incisione facta, magna puris copia ejecta est, et quinque hebdomadibus post mulier conditione sana est fructa. Rob. Lee inflammationem conspexit, in qua secundum situm musculorum psoadis et iliaci pus descendebat. Andral (3) in muliere juvenili, quae morbi die trigesimo septimo defuncta erat, ovarium alterius lateris et vesicam urinariam abscessu rupto communicare vidit. Taylor (3) ovarium invenit in saccum vastum commutatum, qui in cellulas non erat divisus atque puris libras septendecim continebat. Exinde satis constat, ovaria, pluries irritatione inflammatoria affecta, saepissime degenerari. Quae degenerationes ovariorum in scirrhum et carcinoma, in fungum medullarem et haematodem, denique in steatoma et sarcoma, quum facile removeri non

(1) Cf. Hufeland, Journal 1831, S. A. 12.

(2) Cf. Rhein. mediz. Generalbericht 1834. Coblenz 1837.

(3) Cf. Naumann, l. c.

possint, nova irritamenta iterum partes adjacentes irritant earumque inflammationem adducunt, ita ut semper inflammatio nova aut praecedentem degenerationem sequatur, aut in suppurationem transeat et complicationem adaugeat.

CURA.

Permultum interest, ut noxiae et causae occasionales perpendantur et removeantur; itaque laesionibus localibus praegressis, aut metastasibus effectis, cura modo apto et commodo has res respicienti instituenda est. Sed quum status irritationis in utroque ovario existere possit, et tamen nullis aut ad summum levissimis signis perspicuis appareat, medici seduli est, levissima suspicione morbi hujusmodi inquisitionem exactissimam non solum externam, sed etiam internam instituere. Praecipue inquisitione exacta opus est, quum conditioni suspiciosae menses anomali, insultus hysterici, aut puerperium praegressa sint. In omnibus ovariorum affectionibus phlogisticis cura antiphlogistica et detractionibus sanguinis carere nequimus: sed considerandum est, detractione num universali, an locali utendum sit. Venaesectio tum solum in pede instituenda est, quando menses manci aut suppressi copiosiores efficiendi aut provocandi sunt. In universum contendere licet, applicationem hirudinum vel etiam cucurbitularum cruentarum iteratam externe ad locum dolentem, ad superficiem internam femorum, ad regionem pubis, vel potius ad parietem vaginae ovarium in affectum vergentem esse praeferendam venaesectioni. Sed detractio sanguinis localis satis copiosa esse debet; symptomatis inflammationis acutae apparentibus, ad minimum decem vel viginti hirudines (aut cucurbitulae cruentae decem

vel quindecim ad integumenta abdominis et ad superficiem internam cruris lateris affecti) applicandae sunt, et fluxio sanguinis per spatium temporis satis magnum expedienda est. Etiam inflammatione chronica existente detractiones sanguinis haud negligendae sunt, et secundum experientiam Leroy-d'Etiolles nullo jure contendit: „Les émissions sanguines même abondantes et répétées n'amènent qu'un soulagement momentané, ou même n'en produisent aucun.“ Praeterea unguentum hydrargyri cinereum est infricandum. aut kalii jodati.

Quod curam attinet internam, emulsio kali nitrici vel potius calomel perbene agit, rebus commodis conjunctum, ut remediis sedativis, opio, floribus zinci. Sed opium cum calomelane conjunctum aliquot contraindicationes habere experientia docet; etenim quum oophoritidi insultus paroxysmi hysterici praegressi sint, aut suspicio nymphomaniae justa videatur, opium nimis excitat; itaque his conditionibus semper hyoscyamus opio praestat. Balnea calida inter remedia hisce in affectionibus ad eventum laudabilem efficacissima numeranda sunt. Contra fomentationes frigidae ad genitalia, aut injectiones frigidae vix justificentur. Sed clysmata, praesertim asae foetidae emulsione commixta, symptomatis acrioribus fugatis, summo jure laudantur. Si calomel supra commendatum evacuationem non efficit, Helm aliquot doses jalappae addit. Remediis evacuantibus quoque Leroy-d'Etiolles effectum faustissimum attribuit hisce verbis: „Les évacuations alvines, lorsque l'on parvient à les produire, font cesser instantanément les douleurs et le ballonnement du ventre.“ Cataplasmatis emollientibus pulvini herbis farti nunquam substitui possunt. Symptomatis vehementioribus etiam sinapismos ad

suras permagni aestimare licet, quorum loco postea pluries in dies pediluvium, aceto et natro muriatico aut acido muriatico-nitrico efficacius redditum, administrandum est. Calomel aliquot propter salivationem cautelas poscit: primis hujus effectus noxii praesagiis hoc remedium removendum est: tunc pluries per diem os infuso adstringenti leniori, ut herbae salviae, aut solutione natri boracici elavandum est, eodem tempore decocto radicis salep cum liquore ammonii acetici et extracto hyoscyami porrecto. Osiander commendat contra oophoritidem puellarum prophylacticum quoddam, nempe iteratum balneorum tepidorum usum, in quibus aegrotae usque ad umbilicum submerguntur, una superficiebus femorum internis, perinaeo et regione sacrali frictis. Praeterea laudat usum internum pulveris radicis rubiae tinctorum, praesertim cortice chinae addito, ita ut per diem uncia dimidia consumatur. Medicus ille, praesertim scientia et peritia morborum mulierum celeberrimus, morbo provectiore detractionibus sanguinis etiam universalibus carere se nunquam potuisse confitetur. Praeterea summam laudem vindicat acetati plumbico, quem per diem semel bisve dosibus duorum vel trium granorum una cum grano opii uno, vel cum duobus tribusve granis extracti hyoscyami porrigebat.

Ut jam supra dictum est, curemus, ut menses aut lochia, si cesserunt, restituantur, si peccaverunt, emendentur. Illustrissimus ille Naumann, cujus quoque auctoritas permagni aestimanda est, ad hunc finem commendat radicem rubiae tinctorum, conjunctam cum baccis lauri et natro boracico. (Ej. form.

Rep. Pulv. rad. rub. tinctor. ʒvj
Pulv. bacc. lauri ʒj
Sacchar. alb. ʒjjj

M. fiat pulv. D. S. 3 Mal täglich einen reichlichen Theelöffel voll zu nehmen.)

Quam conjunctionem in usum vocat, insuper cura leniter antiphlogistica et derivatoria instituta.

Metastasibus rheumaticis et impetiginosis factis, remedia adhiberi debent in hos morbos utiles, quorum remediorum sunt prima: hydrargyrum muriaticum corrosivum, antimonialia, aconitum, species ad decoctum lignorum, natrum nitricum, sulphur etc.

Praeterea cura diaetetica instituenda, omniaque sunt removenda, quae calorem et excitationem afferant. Itaque aegrotae non diu in lecticulo remanere debent; lecticulos autem molles, praecipue pennis fartos, penitus fugiant necesse est. Eodem modo cubicula non calidiora sint, sed frigida; vestes ne sint nimis artae, neve opprimant; pedes calidi serventur. Ante omnia autem nutrimenta removeas, quae ut spirituosa, aromata, nimis excitent; cibi sint parciores, fluidiores, facillimi ad concoquendum, non nimis plastici. Si aegrotae sunt in matrimonio, coitus vetetur, quod omnes irritationes systematis genitalis penitus vitari necesse est. Qua de causa etiam omnes fugiantur animi motus qui libris aut sermonibus libidinosis procreantur.

Si inflammatio stadium acutum transit considerari oportet, quaenam conditiones in ovariis facilius exoriri possint: num suppurationis symptomata, an hydropica, an indurationis appareant. Si suppurationem impedire non possumus, non

admodum dolendum est, nam hic exitus praeter dissolutionem inflammationis semper optimus est. Si igitur evenit, curandum est, ut abscessus quam celerrime emolliatur et maturescat, cataplasmatis cum herba hyoscyami ordinatis. Tum respiciamus, ut abscessus loco aptissimo aperiatur, ad quem finem consequendum situs aegrotae multum confert. Expectandum non est id tempus, quo abscessus sua sponte rumpatur, sed, fluctuatione manifesta, incisione aperiamus, ne pus descendens aut abscessus congestionis loco minus opportuno efficiat, aut alia organa adoriatur. Incisioni instituendae tres locos habemus, vaginam, intestinum rectum et abdominis integumenta, quae regio postrema, si adhaesiones ovarii cum ventris parietibus suspicari fas est, aptissima esse mihi videtur. Tum vires sustententur nutrimentis blandis, sed plasticis, et remediis roborantibus, ut chinae decoctis, aliis.

Inflammatione in hydropem transgressa, remedia idonea, de quibus hoc loco disserendum non est, adhibeantur. Pari modo res se habet, si induratio exitusque alii acciderunt.

VITA.

Ego, Joannes Hubertus Pesch, natus a. MDCCCXXII die XXV m. Aprilis in pago Raeren nominato, patrem carissimum Joannem Jacobum veneror, matrem Mariam Josepham Gertrudam, e gente Falter, morte praematura mihi ereptam vehementissime lugeo. Fidem confiteor catholicam Romanam. Primis litterarum elementis domi imbutus, gymnasio catholico Coloniae Agrippinae, auspiciis florenti Cl. Birnbaumii traditus sum. Cujus viri memoria propter benevolentiam comitatemque, qua omnes discipulos amplectitur, ex animo pietatis pleno nunquam mihi excidet. Cursu gymnastico tempore autumnali anni MDCCCXLIII absoluto, in almam universitatem Fridericam Guilelmam Rhenanam me contuli, et a rectore magnifico Ill. Bleek inter numerum civium receptus, apud decanum ordinis philosophorum Ill. Loebell, anno autem dimidio post apud decanum spectatissimum gratiosi medicorum ordinis Ill. Nasse nomen professus sum.

Scholae, quibus per quadriennium interfui, hae sunt:

de logice et psychologia Cel. Volkmuth;

de historia philosophiae Ill. Brandis;

de physica experimentali Ill. Pluecker;

de chemia experimentali et organica Ill. G. Bischof;

de mineralogia Ill. Noeggerath;

de zoologia, zootomia atque historia mammalium naturali Ill. Goldfuss;

de botanice, cum excursionibus conjuncta Ill. Treviranus;

de anatomia generali et speciali Ill. Mayer et Ill. Weber;

de physiologia experimentali Ill. Budge;

de encyclopaedia et methodologia artis medicae, de pathologia et therapia generali et speciali Ill. Naumann;

de pathologia et therapia speciali Ill. Nasse;

de materia medica generali et speciali, et de arte formulas medicas concinnandi Cel. Albers;

de medicina forensi Ill. E. Bischoff;

de chirurgia generali et speciali, de fasciis chirurgicis applicandis, de operationibus chirurgicis, de instrumentis et machinis, de anatomia chirurgica Ill. Wutzer;

de arte obstetricia, de morbis neonatorum, atque uteri Ill. Kilian;

de applicatione et usu ignis in chirurgia Cel. Hoppe.

In exercitationibus practicis duces mihi fuere:

in arte cadavera rite dissecandi Ill. Mayer et Ill. Weber;

in clinico medico propaedeutico et therapeutico Ill. Nasse;

in clinico therapeutico Ill. Naumann; in clinico chirurgico et ophthalmiatrico Ill. Wutzer; in clinico obstetricio et in exercitationibus ad phantoma obstetriciis Ill. Kilian.

Anno MDCCCXLVII tempore autumnali almam musarum sedem Berolinensem petii, inter cujus cives a rectore illustrissimo Mueller receptus, a decano spectatissimo Juengken numero medicinae studiosorum adscriptus sum.

Hic interfui scholis clinicis medicis Ill. Schoenlein, chirurgicis et ophthalmiatricis Ill. Juengken, obstetriciis Ill. Schmidt.

Quibus viris omnibus, optime de me meritis, pio gratoque animo maximas ago gratias semperque habebo.

Jam tentaminibus, tam philosophico quam medico, nec minus examine rigoroso coram gratioso medicorum ordine superatis, spero fore, ut, dissertatione una cum thesibus publice defensis, summi medicinae ac chirurgiae honores in me rite conferantur.

THESES.

1. In quoque organo inflammato vigor animalis est imminutus.
2. Est superfoetatio.
3. Spermatozoa non sunt zoa.
4. Pulmones in aqua natantes foetum respirasse non probant.
5. Calor animalis sola respiratione non oritur.
6. Antylli methodum aneurysma curandi praestantissimam censeo.